

RECENS HABITAS 51


ctum designabant ad vnguem. Horum planeta-
rum progressus versus ortum ex collatione ad
prædictam fixam manifeste cernebatur, ipsi n.
Iupiter cum adstantib. Planetis vicinior erat,
vt in apposita figura videre licet. Sed Ho. 5. Stella
orientalis Ioui proxima aberat ab eo min. 1.

Die 28. Ho. 1. duæ tantum Stellæ videbantur;
orientalis distans a Ioue min. 9. Occidentalis ve-
ro m. 2. Erant satis conspicuæ, & in eadem recta:

Ori. *  * Occ.

* fixa.

ad quam lineam fixa perpendiculariter incidebat
in Planetam orientalem, veluti in figura. Sed ho-
ra 5. tertia Stellula ex oriente distans a Ioue m. 2.

Ori. * *  * Occ.

conspicua est in eiusmodi constitutione.

Die 1. Martii Ho. o. m. 40. quatuor Stellæ o-
rientales omnes conspicuæ sunt, quarum Ioui
proxima aberat ab eo m. 2. sequens ab hac m. 1.
tertia m. 0. sec. 20. eratque reliquis clarior; ab ista

Ori. * * *  * Occ.

* fixa.

vero distabat orientalis m. 4. & reliquis erat mi-
nor. Rectam proxime designabant lineam, nisi
quod tertia a Ioue paululum attollebatur. Fixa
cum Ioue, & orientali triagonum æquilaterum
constituebat vt in figura.

Die 2. Ho. o. m. 40. tres adstant Planetæ, o-
rientales duo, vnus vero occiduus in tali confi-

Ori. * *  * D 2 Occ.